

ORATIO INAUGURALIS

Sacris augustissimarum Nuptiarum solennibus

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. CAROLI,

D. G. COMITIS PALATINI
AD RHENUM, ELECTORALIS
DIGNITATIS HÆREDIS,
DUCIS BAVARIÆ;

ET

SERENISSIMÆ DANIÆ ET NORVVEGIÆ PRINCIPIS HÆREDIS

WILHELMINÆ ERNESTINÆ,

DIVI FRIDERICI III. DANIÆ,
NORWEGIÆ, GOTHORUM VANDALORUMQUE REGIS FILIÆ;

CONSECRATA;
ET NOMIME ACADEMIÆ HEIDELBERGENSIS
HABITA
à

PAULO HACHENBERG,

Quum Publicam Historiarum & Eloquentiæ Professionem in Electorali Heidelb. Academia auspicaretur.

XXI. Sept. A. MDCLXXI.

HEIDELBERGÆ,
Ex Officina JOH. CHRISTIANI WALTERI, *Elect. Typographi.*

CAROLO

COMITI PALATINO AD RHENUM,
FASTIGII ELECTORALIS HÆREDI,
DUCI BAVARIÆ,

QUOD

ACADEMIAM PRÆSENTIA SUA
HONORAVERIT,

ET VOTA PUBLICA, QUÆ SAN-
CTISSIMIS EJUS NUPTIIS NOSTRA
PIETAS NUNCUPAVIT, ÆQUIS ANI-
MIS ACCEPERIT,

PRINCIPI OPTIMO, ET INDULGENTISSIMO,
MAGNO MAGNI PATRIS
INCREMENTO,

*HANC NUPTIALEM ET INAUGURA-
LEM ORATIONEM*

L. M. Q. D.

SINGULARI EJUS CLEMENTIA USUS,
ET OMNI NOMINE DEVINCTUS
SERVUS HUMILIMUS

PAULUS HACHENBERG.



SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR,
DOMINE CLEMENTISSIME,

SERENISSIME PRINCEPS ELECTORALIS,

CAROLE,

Qui mihi hodie magnum eris theatrum:

Auditores omnium ordinum Illuſtriſſimi, Generoſiſſimi, Nobiliſsimi, Excellentiſsimi, Ampliſsimi, Ornatiſsimi, Humaniſsimi,

HOc unum fortunæ ac felicitati noſtræ deerat; ut Tu amor ſeculi, delicium generis humani, & Germaniæ terræ decus, CAROLE Princeps, poſtquam in noſtram creveras gloriam, regalibus nuptiis animum occupares, provinciamque Palatinam feliciſſimô conjugiô; populum univerſum ſpe ſobolis auguſtæ, hanc urbem, hanc Acade-

Academiam ſanctiſſimis matrimonii auſpiciis ſtabilires. Nihil enim aut majus, aut præſtantius à diis immortalibus precati ſumus, quàm ut ætate pollens, ingeniô validus, virtute clarus adoleſceres; deinde ut matrimonio jungereris, ex quo jucundiſſimus & ſuaviſſimus vitæ fructus tibi eveniret, tum Palatina familia præſidium potentiæ, & ornamenta dignitatis ſuæ acciperet. Quorum nunc votorum benignitate numinum, conſenſu Europæ, judiciô populorum damnati ſumus, dum florentiſſimæ & emendatiſſimæ Principis maritus, Regum maximorum gener & affinis conſalutaris; dum orbem Arctoum, ipſumque finibus noſtris ſemotum Oceanum arctiſſima neceſſitudine nobis devincis; plane ut jam nominis Palatini ſplendor, & fœdera gentis noſtræ ſe diffundant, quà late per vaſtiſſimos Septentrionis tractus majeſtas Imperii Danici protenditur. Itaque dum vota noſtra perſolvimus Superis, & incredibili ſtudiô ad gratulationes ac lætitiam accendimur; tum vel imprimis Parenti tuo optimo immortales gratias agimus, quòd divinô & ſapientiſſimô conſiliô, quum ſpes & opes regionis in Te ſitæ eſſent, regalem filiam connubio tuo deſponderet, illoque maximô & pulcherrimô beneficiô domum Palatinam, quam ipſe primus ex flammis & ruinis eripuit, ad veterem gloriam proferret. Neque enim hoc diſsimulandum, ſed ſemper dicendum eſt; paravit Tibi matrimonium genere clariſsimum, affinitate validiſsimum, ex quo rebus noſtris præſidium, & ſecuritas, & robur ingens acceſsit. Quare nunquam juſtiora vota agitavit populus, nunquam in ſanctiores applauſus gratulabundum ſe effudit, dum Regum

Regum filia & ſoror in noſtram ſubit provinciam, thalamumque tuum felici omine ingreditur, ut regnatricis familiæ tranquillitatem firmet, novosque Principes, & ſobolem auguſtæ ſtirpis orbi terrarum donet. Mihi quidem, cui hoc grande fortunæ pretium præ cæteris evénit, ut juventæ tuæ adfuerim rudimentis, & ex ſanctiſsima tua converſatione maximum fructum & jucunditatem ceperim; jam longè gratiſsimum atque dulciſsimum eſt, quòd in hoc ampliſsimo præſtantiſſimoque Germaniæ totius loco, in ipſis Profeſsionis meæ auſpiciis, vota Tibi publica nuncupare, magnamque hujus Academiæ pietatem, quâ Te tuasque nuptias proſequitur, conteſtari jubear. Iviſti olim mecum per tetrica Philoſophorum præcepta, præclaroque judiciô, quid fœdum factu, quid pulchrum inceptu eſſet, ex libris ſapientiſsimorum hominum hauſiſti; nunc veniam tribues, ſi ſuaviores Tibi leges præſcribam, ſi blandiora ſapientiæ præcepta, quæ maritum ac Sponſum decent, in hoc ſplendidiſsimo conſeſſu loquar. Quo in ſtudio quum Princeps optimus & ſapientiſsimus CAROLUS LUDOVICUS faciles mihi animos promittat, eoque audaciam dicendi ſolus largiatur; tum omnes illos æquis auribus favituros mihi confido, quos aut publica lætitia ex auguſto connubio, ſalusque Palatinæ gentis afficit, aut caſtiſsima Academiæ hujus pietas tangit.

Sæpius mihi ſtudium fuit, CAROLE Princeps, indolem tuam animo mecum agitare, atque in ea cognoſcenda maximam voluptatem habui; non ut fortunæ tuæ adorarem magnitudinem, quam multi

mortales adulando & blandiendo deprædicant : ſed ut ſummas illas virtutes, illas animi tui præclaras dotes, quibus Te ſupra vulgus humumque noſtram ſuſtuliſti, propiùs intuerer. Itaque in Te deprehendi animum egregium & magnum, qui nullis fallaciis corruptus, nullis ſimultatibus imbutus enitescit candore ſuo, & integritate vitæ clarus eſſe cupit. Sed per cæteras virtutes illa res amabilior eſt, quòd mores tui vigore ac lenitate ſint mixti, & maximè in iis ſuaviſſima quædam & incredibilis comitas eluceat, quâ Te ad privatam uſque humilitatem à faſtigio tuo ſæpe dimittis. Unde illi, qui Te ſolo aſpectu metiuntur, ſolent corporis tui dignitatem, & os deo ſimile, & placidam luminum majeſtatem, & cunctis ſupereminens celſæ proceritatis decus admirari; qui autem Te familiarius uſi ſunt, obſtupeſcunt nihil in Te ſuperbum, nihil intemperans, nihil crudele, nihil impudens apparere; perinde ac ſi tantis inſueſcere nequires vitiis, qui cœlitum ſpeciem illâ oris ſuavitate referres. Nec me fugit, quàm avidè nominis tui æternitatem concupiſcas, quàm Te hæc præclara cupiditas noctes dieſque exerceat, ut gloriâ immortalis fias, & ea quæ facis, in memoriam ac laudes poſterorum diſſemines. Ad quam quidem pulcherrimam ambitionem non tam per imagines antiquorum Principum incitaris, quàm ab eo, cujus nomen ſine horrore & religione commemorare non poſſum, ab incomparabilis & divini Parentis exemplo inflammatis, ut eundem & nobilitatis tuæ, & vitæ, & exiſtimationis auctorem habeas. Non me hîc effun-

dam

dam in laudes tuas, quamvis singularis tua virtus ingentem mihi materiem pandat; id tantum cupio ostendere, quantus sis futurus maritus, qui illis virtutibus adolescentiam imbuisti; deinde ejus felicitatem extollam, quæ in amplexus tuos immista, te vitæ, te fortunæ suæ socium accepit. Nec te quidem ambigere censeam, quin illis virtutibus insignis, illis animi dotibus præditus debeas esse, quem illud Cimbricæ gentis fulgentissimum ornamentum, illa regia virgo ætate & forma florentissima in thalamum admittit; quem castissimo amore WILHELMINA ERNESTINA, Princeps lectissima omnique laude & prædicatione dignissima complectitur. Nolo hîc, quod alii fecerunt, imagines, aut triumphos, aut sceptra majorum ostentare, quibus illa præfulget, generisque sui nobilitatem cœlo miscet; neque enim mihi ea ingenii vis est, tantaque dicendi copia, ut familiam Regum Danorum, toto terrarum orbe clarissimam & vetustissimam perstringere ac delibare; ne dicam verbis exornare posim. Nondum Regum fascibus parebat Germania; nondum sceptris Hispania aut Gallia gentem suam subjecerant; & jam Cimbrorum Reges erant; jam magnis populis, inclytisque provinciis imperitabant. Hic jam bis millesimus annus est, quo in illa orbis terrarum parte Scioldus ad fastigium regale admotus; non solùm Septentrionem omnem victoriis pervasit; sed domitis Hunnis, coërcitis Slavis, cæsis Vandalis trophæa potentiæ suæ in ipsis Rheni ripis posuit. A quo stirps magna dimissa, incorrupta generis serie,

rie, facinorum bellicorum magnitudine, potentiâ imperandi omnes Reges æquavit; cœpitque novum incrementum, poſtquam in cognatam domum Oldenburgicam ſceptra illata ſunt, novosque Reges non in Septentrionis modò, ſed in imperium orbis terrarum ſuffecerunt. Sed inter omnes ſocerum tuum, Regem ſanctiſsimum & prudentiſsimum laudari comperi, in quo ea vis animi atque conſilii fuit, ut in difficillimis regni ſui temporibus, quum fatorum ſcelere domi forisque ab hoſtibus obſeſſus eſſet, inimicorum arma magnô animô dejiceret, factionem nobilitatis diſturbaret, rempublicam ſuam ex fœdiſsima flamma, totam Daniam ex bello maximo & vaſtitate eriperet; quod egregium facinus, quum eô majores ſuos eſſet prætergreſſus, omnium gentium literis atque linguis celebratum fuit. Atque idem ille divinus vir, quum primus regios faſces ſuo ſubjeciſſet arbitrio, omnia maxima minimaque legibus ſubmiſit, atque attemperavit; ſtudiis, & vigiliis, & labore cum ultimis mortalium certavit; nec in quemquam omnium gravius ſeveriusque, quàm in ſemet ipſum imperium exercuit; nec tam opulentiâ, & regali ſplendore, quàm modeſtiâ & probitate omnes homines anteivit. Itaque ſatis ad laudem Sponſæ tuæ eſſe poterat, quod Friderici Tertii filia eſſet, vitæque ſuæ auſpicia & morum præcepta ab ſanctiſsimo optimoque Rege accepiſſet. Neque verò Te, Amalia mater, ſilebo, cujus ego Reginæ gravitatem atque prudentiam non ſolùm omnibus fœminis, ſed

cun-

cunctis viris anteponendam censeo; quæ ex stirpe omnium nobilissima procreata, quum regali purpurâ fulgeat, sic sanctissimis moribus, abstinentiâ, & moderatione se suamque aulam componit, ut ex sola ejus domo leges rectè vivendi, & casta juventutis institutio, ac animorum cultura hauriri, & in terras distribui possint. Hinc & ipsa ex sola familia, quanta sit, æstimari potest; & illa Tua Sponsa, quæ optimis ejus institutis enutrita est, ad famam suam exsurgit, maternisque laudibus immixta nos in admirationem sui rapit, quum nihil vulgare, nihil indecorum aut humile in vita ejus spectemus. Et quamvis augusta illa virgo præstanti formâ omnes antecellat mortales; quamvis excelsæ frontis honor, ingenuique vultûs candor nativo rubore fusus, ac fulgor micantium oculorum omnibus simulacris emendatiorem speciem reddat; quamvis illa robusta corporis pulchritudo, & heroicus membrorum decor Venerem ipsam confundat; tamen eam ego majorem laudem atque ornamentum in illa existimo, quòd ab omnibus modestiæ exemplar, probitatis magistra, innocentiæ tutela, mansuetudinis blandissima imago appelletur. Hanc magni Principes uno consensu decus Daniæ vocârunt; huic cives sui, qui bonitatem ejus experti sunt, summas laudes atque honores deberi dixerunt; huic abeunti omnes, quum vota unanimes fudissent, lachrymas suas donârunt, fassique sunt, despoliari Daniam Regiâ Principe, in quam dii omnia corporis & animi ornamenta contulissent. Ac mihi quidem in sortem utriusque vestrûm intuenti, quos similes prosapiâ, similes

miles moribus æterna jam vinciunt fœdera, id certiſsimum atque evidentiſsimum apparet, à ſuperis amores mortalium agitari, & conjugia componi; neque ſanciri nuptias, quas non illa cæleſtis & præſentiſsima vis animis conciliârit. Nam licèt illud concedi poſſet, multas res ex fortunæ luxuriantis agitari libidine, & pleramque mortalium partem pereundi perdendique rabie in prava conſilia ſponte ſuâ volvi; tamen id à natura hauſimus, & ab exemplis accepimus, Intereſſe caſtis amoribus Deum, qui illos animis noſtris inſinuat, & prout viſum, in miſeræ mortalitatis ſolatium, atque incrementum diſpenſat. Itaque ut multa præclarè ac ſapienter à Romanis priſcis inſtituta ſunt, ſic illud præſtantiſsimum atque religioſiſsimum fuit, quòd auſpicia nuptiarum à diis immortalibus ſumi voluerunt; quorum nempe ductu in ſpem conjugii ingredi homines credebant; à quibus initia vitæ atque ſocietatis, tum amicitiæ, fœderum, concordiæ exempla hominibus data, atque in familias diſpertita exiſtimabant. Hinc ad pulvinaria deorum jacebant nubentes; conjugiique exordium cœlô devocabant; hinc auguria timidiſſimis ſacrificiis captabant, ut experirentur, num proſperos ſucceſſus ingentibus cœptis Superi deſtinâſſent. Diis ergò ducibus, DOMINE, hanc mentem atque voluntatem nubendi ſuſcepiſti; qui Te ad pulcherrimum & digniſſimum amorem impulerunt; quorum poteſtate ac nutu effectum eſt, ut animum tuum atque cupiditates in disjunctiſſimas terras, interfuſô Oceanô à nobis diſſociatas converteres, jamque caſtiſſimo caleres igni; quum nondum oculis uſurpâſſes illam, cujus deſide-

ſiderio flagrabas. Atque eâdem Deorum providentiâ factum eſt, ut Tu rurſus in illa orbis terrarum parte nomen Palatinum renovares, quod ex familia tua Chriſtophorus Rex, Cimbrorum faſtigio impoſitus, in illas regiones primum intulit; deinde Fridericus Secundus matrimonio Dorotheæ Danicæ clarum & magnificum reddidit; quorum Tu jam auguſtos manes honoraſti beneficio pulcherrimo, dum priſca fœdera Palatinos inter & Cimbros reſtituis, & domum iſtam Tuam, cœlo proximam, nutricem heroum, maximis affinitatibus per Septentrionem conjungis. In quo quidem familiæ Tuæ ac ſtirpis virtutem prope divinam admiramur, nec ſine ſtupore id eloqui poſſumus, quod jam majeſtas Palatini nominis ultra ipſam Thulen proceſſerit, fineſque gloriæ ſuæ tam cœli, quam terræ ultimis regionibus terminaverit. Sive enim ultra pontum Septentrionalem ignota adhuc jacent littora, nec Thule iſta Islandica eſt terrarum extrema; ſive ipſa natura nivibus & æternâ hyeme rigens ac vallata in hac Arctoi orbis parte fines ſuos poſuit; profecto nullum in maxima iſta, & ampliſſima mundi parte ſpatium eſt, nullus locus ita ſemotus aut inacceſſus, quem non ſplendor Palatinæ domus, & decus gentis noſtræ impleverunt; quum & alter ille Septentrionis regnator, ille fortiſſimarum atque invictiſſimarum nationum Princeps, familiæque Palatinæ progenies magna & tutela, potentiam ſuam ultra Boryſthenis ripas, Scythicoſque fluctus promovit, & vaſtiſſimas terrarum plagas, Oceani immenſa ſpatia, & Europæ deficientis terminos Suecis ſuis adjecit. Dent porro dii, ut in iſtis disjun-

junctiſſimis terris, & mundi amplisſimâ regione virtus Palatina effloreſcat, novasque ſibi ſemper accesſiones gloriæ & potentiæ faciat; proferat ſe iſto ſub cœlo ſtirps noſtra, & in multos populos diffundatur; creſcat amoribus noſtris Dania, det jura gentibus, tranſcendat ripas Tanais, & laurô Sarmaticâ gloriam ſuam augeat, ut in poſterum potentia Chriſtiani Quinti ibi finibus Hyperborei Oceani, illic maris Caſpii clauſtris circumſcribatur! Cæterùm ſcio, DOMINE, & ſæpe magna cum voluptate obſervavi, quàm Tu enixis precibus implores Deos, atque obteſteris, ut in hoc conjugio veſtræ mentes atque voluntates conſentiant, mutuoque amore coaleſcentes in proſperam tranquillamque vitam durent. Si in vetuſta Romanorum tempora incidiſſes; far pium ſacris Tuis nuptialibus litarem, inferremque illud altaribus Deorum, ut illo ſanctisſimo ritu in manus tuas conveniret uxor, & Superis teſtibus conſtantia amoris veſtri obſignaretur. Etenim illi homines religioſisſimi, qui farre matrimonium docuerunt contrahendum, id præſentibus & ſpectantibus diis fatebantur, quòd amores conjugum illibatos perpetuosque eſſe vellent; quemadmodum far, optimum frumenti genus, nec ſitu putreſcit, nec temporis uſu integritatem ſuam amittit, ſed ſemper ſibi conſtat, eâdemque guſtûs & ſaporis puritate conſtantiam ſuam commendat. Sed hîc ego non ſum neſcius, quàm difficile atque aſperum factu ſit, amores ſuos ita temperare atque exercere; ut eodem ſemper fervore ad extremum vitæ diem permaneant. Nulla eſt enim tanta vis amoris, tanta vehementia, quæ non le-

vibus

vibus etiam rebus debilitari frangique possit ; quippe quum amor sit res maximè tenella atque delicata , & amantium mores ætate ingravescente ; aut adversis secundisque rebus plerumque mutari soleant ; sæpissimè exiguam ob causam dissensio nata fuit ; grandisque illa & intensa priùs flamma concidit ; ac simul intepuit. Atque ut illud fatendum est , præcipuam vitæ esse felicitatem ; ubi concordibus animis atque studiis in suavissimas matrimonii leges transitur ; ita nullùm vitæ genus ærumnosiùs ; nullùm tristius , nullum acerbius existit conjugiô ; si in eo corpora jungit thalamus , animos discordia divellit ; tetroque fastidiô inter se collidit. Multi majore famâ & claritudine ad gloriam se protulissent , nisi minùs felices fuissent mariti, & domesticâ calamitate atque miseriâ oppressi vitam insuavem traxissent. Quò magis Tibi , DOMINE , omni studiô atque diligentiâ providendum est, ut in isto Tuo beatissimo conjugio quàm minimum acerbitatis atque molestiæ habeas ; utque in thoro Tuo à curis & domesticis jurgiis animus requiescat. In quàm rem multa à sapientissimis gravissimisque viris dicta sunt , qui rectè vivendi leges tradiderunt ; sed Tu universam conjugii felicitatem facilè hisce rebus consequeris , si Tu uxorem caram habeas ; ac moderatè regas ; & si Illa Te obsequiò atque omni fide colet , & observabit. Quod tuum est ; facilè à mansueto illo Tuo , suavique ingenio impetrabis , quum & hactenùs ad conciliandas ac devinciendas hominum voluntates nihil prætermiseris ; quos amicitiâ atque favore Tuo dignos putâsti. Quis autem magis amicus ; quàm uxor marito ?

rito ? aut quem amicitiâ digniorem censebis, si illa non est, quæ in animum, in lectum, in familiam, legitimis tabulis, raro sacramenti genere immigravit? quam Tu ad altaria superorum, testibus & arbitris diis in uxorem, in vitæ Tuæ individuam sociam, in familiaritatis sanctissimæ pignus accepisti? Pythagoras, vir summus amicitiam definivit unam animam; at hîc & animarum mixtura est, & unum corpus est; hîc virum & fœminam tam tenacibus necessitudinis vinculis constrinxit æterna naturæ vis, ut nullum neque arctius, neque sanctius fœdus unquam sancitum, atque hominibus traditum putetur; cujus eam esse vim ex multorum hominum religionibus accepimus, ut & animæ ipsæ, ubi ex corporibus abierunt, in illos amplexus & oscula, quibus in terris fruitæ erant, rursus propelli & inflammari credantur. Sanè Perseum illum, Jovis & Danäes filium, qui jam in cœlo Septentrionali, unde Tua venit, inter sidera conspicitur, eam ob causam majores nostri, homines sapientissimi astris inseruerunt, quòd ab Andromeda sua, quam vivus amaverat, nec mortuum dividi atque divelli posse existimarent. Neque ullam aliam ob causam vetustissimi Romani illum morem induxerunt, ut cælibari hastâ, quæ in corpore occisi gladiatoris stetisset, caput nubentis fœminæ comeretur atque mulceretur; quàm quòd cupiebant, ut ipsa sic esset viro conjuncta, quemadmodum hasta vivo gladiatori adfuisset; deinde ut meminisset, se viri subjici imperio, quod hasta armorum & imperii summa foret. Primum ad fidem & amorem uxoris pertinebat,

nebat, ne dum viveret, dum animâ ſpiraret ſuâ, divelli ſe à viro pateretur; alterum eidem obſequium imperabat, ut juſtum honorem deferret marito, quem natura principem ac rectorem familiæ conſtituiſſet. Utrumque uti fœdus matrimonii ſtabilit & confirmat; ita nihil pulchrius aut præſtantius Deorum munere dari viris poteſt, quàm uxor illis moribus ornata; quæ obſequii & fidei gloriâ honores ſuos & famam metitur. Hîc ego non ſinè ſumma admiratione eloqui poſſum; nec alii populi ſatis celebrare queunt grande illud fidei & amoris muliebris exemplum; quod vetuſtis temporibus Cimbricæ mulieres edidêre; poſtquam ab extremo Oceano maritos ſuos in bellum ſequutæ, & in Italiam infuſæ bellicoſiſsimam gentem armis petierunt. Irruebant per Alpium juga Cimbri, magnamque Italiæ partem victoriis pervagati ad Tiberim fluvium properabant; ut Romam illam inclitam; orbis dominam; Deorum ſedem; gentiumque Deam faſtigio humanarum rerum detraherent. Sed dum robore ſuo prætumidi; & ſucceſsibus præcipites hoſtem contemnunt, & tumultuario agmine per campos ſe ſpargunt; à Cn. Mario circumventi diſsipantur, cæduntur, necantur; ingens multitudo fugâ oppreſſi, & in ripis obtruncati; gemitu; clamore; execrationibus; horrore omnia complent: ſolas mulieres non armorum fulgor, non formidata vis, non mortis terror, non virorum morientium voces; non puerorum ululatus percellunt aut labefactant; vanum ſemper & inanem iſtum horrorem exiſtimârunt. Quare dum hoſtis furens iracundiâ, & cædem anhelans inter diſperſos Cim-

Cimbrorum manipulos grassatur, hæ in confertissimam aciem accensis animis procurrunt, ferrô viam minaciter faciunt, hostilique sanguine perspersæ maritos circumstant, ut aut illos præsentissimæ eripiant stragi, aut super iisdem tumulis animas abiiciant. Maxima pars; quæ in castris manserat, quum cæsos magnâ clade viros animadverterent, ne iis superstites essent, invisæ lucis moram abrumpendam statuunt; involutæ nigris vestibus liberos suos miserando trucidant furore, indè aliæ ferrum propriis pectoribus demergunt; aliæ vitam suspendiô finiunr, & cervicibus inter plaustra & curruum angustias infertis moribundæ labuntur. A quâ fœditate spectaculi, licèt hostis oculos averteret, tamen id ejus confessione expressum fuit; eximiam magnamque earum virtutem exstitisse; quæ quum in durissimam & longinquam militiam viros comitatæ essent, illis interfectis nec vivere magis, nec trahere spiritum voluissent. Poteram hîc in Cimbricarum mulierum virtutibus commorari diutiùs; poteram Margaretæ; virilis animi Reginæ; & Amazonis Danicæ egregiam in mariti cineres fidem; fortitudinem in periculis; industriam in agendo celebrare; sed mihi ante oculos versatur seculi mei felicitas; illa Cimbricæ gentis heroina; quæ jam regionem nostram inhabitat, & in ore famæ, in publica luce; in humani generis conspectu virtutes suas ostentat. Proinde fruere tam nobili & excellenti conjugiô, magne Princeps; & patere, ut ab incomparabilis ornatissimæque conjugis Tuæ vita matres atque uxores nostræ exempla modestiæ, fidei, & obsequii sumant, tum veterem illam Cimbricæ terræ

æmu-

æmulentur gloriam, de qua olim dictum fuit, quod ibi ſanctius viveretur ad Oceanum, nec vitiis iſtis, quibus aliæ gentes eſſent contaminatæ, pretium haberetur. De obſequio uxorum adhuc loquor, quod veteres Romani per haſtam gladiatoriam ſanciverunt; ſed Tu etiam iisdem ritibus inſtitutum fuiſſe meminiſti; ut caput nubentis fœminæ obvolveretur flammeô, & velata atque obtecta ad virum duceretur. Id ego multas ob cauſas introductum animadverto; quarum illæ potiſsimæ ſunt, ne in magnas ſpes & ingentes animos ſe arrigeret mulier; aut licentiâ inſoleſceret; quam pudor, & verecundia, & ſubmiſsi vultûs humilitas in poteſtatem viri detuliſſet. Hinc etiam colum comptam, hinc fuſum & ſtamen puer præferebat abeunti; ut cognoſceret maritus, illam mollibus & domeſticis miniſteriis deſtinatam eſſe; ſibi autem impoſitum, ut dominandi curis occuparet animum; ut res majeſtate virili dignas capeſſeret; familiamque ſuam gravitate atque imperiô adminiſtraret. In quo multos viros fuiſſe lapſos comperio; qui, dum voluptatis feruntur intemperanti amore, & ætatis ac formæ deliciis immerſi ſunt; ſæpius intempeſtivâ pravâque indulgentiâ virile ſolverunt imperium; ſexumque inertiſſimum in dominationem ſuſtulerunt. Sed ego illos in virorum numero haudquaquam habendos eſſe reor; qui ſibi ſervitutem imponunt muliebrem, & mollitie atque ignaviâ animi fluentes; uxoribusque ſuis dediti, tanquam legitimi gladiatores; corpora animasque ſuas addicunt; earumque arbitrio obnoxii; magnum illud jus, quod natura viris in capita fœminarum conceſſit;

fœdâ adulatione proiiciunt. Hercules, ille monſtrorum domitor, laudes ſuas polluiſſe & ſubvertiſſe exiſtimatus eſt, poſtquam Omphalæ ſuæ ſervilem præſtitit operam, manusque illas victrices, & gentibus formidatas ad fœmineam colum ignavè dimiſit. Colenda illa res eſt, diligenda eſt, obſervanda cultu & honore eſt; ſed ut inter blanditias iſtas viro ſua conſtet majeſtas, ut inter oſcula & amplexus principatum in familia retineat, magnumque illud & eximium viri nomen ſupra ambitionem muliebrem ſuſtollat. Sæpe ipſa mulier ſocordiâ atque ignaviâ virorum armata, à thalami continentia ſeceſſit, & in arduas ſpes incenſa, ſe ſuamque familiam præcipitavit. Nec enim illi genti ſemper datum eſt, ut, ſi ſemel ambitione exarſerit, cupiditates ſuas frænare, illasque immoderatas ſpes, quibus fluxum fragilemque animum implevit, conſiliô & ratione adminiſtrare poſſit. Non ita ferox Arminius, non cæſæ à Germanis legiones, non raptæ illæ victrices aquilæ afflixerunt Auguſti fortunam, ac ſuperbiſſima illa & inſolentiſſima Livia, poſtquam in dominationem arrecta, victori iſti gentium & principi terrarum incubuit. Neque peſtis illa, & labes Romanæ gentis Meſſalina in tam tetra flagitia erupiſſet, niſi indecora mariti facilitas ignavo animo afflaviſſet audaciam, & peccandi licentiâ temerariam mulierem in ſcelera & libidines propuliſſet. Hæc dum dico, non ſeverum, non tetricum, non moroſum virum volo, qui velut alter Jupiter oſcula ſua inter fulmina & terribiles tempeſtates ſuæ pangat Junoni, atque amplexus ſuos inter faſtidia & triſtem ſuperbiam vendat.

Nam

Nam ut illi mihi ſemper operoſè inſanire viſi ſunt, quos ſui oblitos fœmineus amor ad ſervile officium detruſit; ita illos imprudentiſſimos ſemper & vaniſſimos habui, qui generis ſui intempeſtivè memores, ubi uxores ſibi alligârunt, crudeliſſimè illis imperitant, nec ſuæ ſatisfactum dignitati putant, niſi inceſſu truculenti, terribili vultu horridi, ſupercilio triſtes atque inculti domum oberrent; niſi pavida & flens mulier ad genua jaceat devoluta, niſi viros, tanquam piratas cum catenis in littore ſtantes expaveſcat. Tanquam ancillæ & captivæ nupſiſſet vir, quæ in tremore, in metu, in ſuſpiriis perpetuis exercenda eſſet? tanquam exiſtimationem & imperium ille ſuum ſubverteret, qui inſtar boni Principis, poteſtatem ſuam munificentiâ, & facilitate, & amore ſuſtineret? Apud Romanos temporibus optimis hunc digniſsimum pulcherrimumque morem inſtitutum accepimus, ut ſolenni nuptiarum die, quum ad fores mariti veniſſet, Sponſa inclamaret, Ubi Tu Cajus, ego Caja; idque in hominum clariſſimorum & ſanctiſſimorum memoriam uſurpatum fuit, quòd ſine querimonia, ſine rixa placidiſſimum matrimonium egiſſent. Igitur ut blanda, ut ſuavis, ut prona in amores tuos ſit; Tu blanditiis eam invade, Tu dulcedine morum, Tu conſtantiâ amandi vicem redde; ſic Tu Cajus, illa Caja, illa verè Tua erit. Sed ego ita à prudentiſſimis viris intellexi, ſimilitudinem morum eſſe amoris parentem; retineri autem amorem, ſi nec nimiùm facilis, nec nimiùm aſper ſis; ſi perpetuam quandam morum ſuavitatem ita inter blanditiem & auſteritatem tempera-

ra-

raveris, ut nec reverentiam tollat, nec consuetudinis jucunditatem carpat. Nihil est fictâ morositate ineptius, nihil magis conversationem civilem & amicitiam violat; sed tamen illa gravior, & intolerabilior est, si in familiam incumbit, ibique triste erigit supercilium, & raro sermone, luctantibus verbis, torvâ fronte, tetroque & horrido incessu urbanitatem suam librat, ubi Amor blanda verba, orationis illecebras, oculos lusitantes, facilemque & serenum vultum poscebat. Sæpius legisti, Circen illam Solis filiam, carmine mundi labentis detinuisse cursum, deduxisse cœlô Lunam, in pecora mutâsse Ulyssis socios; sed illa vis mulieris in blanditiis ac suavitate verborum sita erat; hæc venena precesque magicæ fuerunt, quibus hominum excantabat mentes, & quò lubuit, attonitos animos flectebat. Atque non aliam ob causam prisci Græci statuerunt, ut in templis, in foro, in gymnasiis Mercurius Veneri, mitissimæ ac suavissimæ Deæ adjungeretur; quòd nullam rem efficaciorem ad conciliandam atque retinendam inter amantes benevolentiam putarent, ac sermonem amicum atque comem; qui homines ferarum ritu quondam palantes in civitatis consortium contraxit, fœdera pepigit, bella & seditiones repressit, præfractosque & incomptos mortalium mores ad vitæ humanæ elegantias mitigavit. Iidem sapientissimi homines, quum Junoni pronubæ sacram rem facerent, bilem ex immolanda victima exsecandam, & post altaria abiiciendam voluerunt; quum & æquum & justum censerent, ut illi, quos conjugii sanctitas in vitæ omniumque casuum societatem miscuisset, omnem

depo-

deponerent amarulentiam; nec fœdis ſimultatibus, aut acerbis rixis ſacra genialis lecti polluerent. Sed forſan, DOMINE, hic miraberis, ſi novis ſuadeam conjugibus, ut parcius amare diſcant; primosque illos & recentes ardores intra limites ſuos coerceant, ne multâ prodigentiâ atque liberalitate amandi ſe profundant. Equidem quum initia amoris noſtri plerumque ſint fervidiſſima, & in cupiditatibus ſuis, ſi recentes ſunt, homines intemperanter ardere ſoleant; illos ſemper præclare conſuluiſſe ſibi animadverti; qui ita ſuas flammas diſponunt, ut non tam ſubitô & vehementi deflagrent incendiô, quàm tardô lentôque igni gliſcant, caloremque ſemel conceptum diutiſſime retineant. Nam uti ingenia hominum varia ſemper & mutabilia ſunt, nihil diu formoſum charumque eſſe poterit; quod vehementer, & veluti uno impetu animos noſtros in ſui rapuit amorem; ſed facile etiam jucundiſsimarum rerum ſuboritur faſtidium; & nos ipſæ deliciæ fatigant; ubi illis ingurgitati immodice ſumus, & feroculas illas ac fervidas adoleſcentiæ noſtræ cupiditates ſatiavimus. Firmior ille amor eſt, & ad ſenectutem ſuam caneſcit; qui nec in deſideria ſua profuſus eſt, nec alacritate intempeſtiva deliqueſcit, nec ſitienter cupiditates ſuas appetit; ſed qui moderatione ſe componit; ſuæque voluptatis parcus in longam & duraturam conſtantiam creſcit. Vetuſtis Romanorum temporibus, quum varii flores, herbæque virentes in occurſum Sponſæ ſpargerentur; ipſa digitis ſuis decerpebat verbenam; factamque inde coronam ſub amiculo geſtabat; cujus herbæ eam eſſe naturam audivimus, ut quantò diutius

contrectatur, tantò fortius ſpiret, odoremque novâ ſemper acrimoniâ intendat. Non ſum inſcius, ignem priſco ritu novis conjugibus præbitum, ut efficaces intenſosque ejus ardores imitarentur; ſed iiſdem cærimoniis receptum fuit, ut ſimul contrectarent aquam, illoque humore ſuas moderari flammas diſcerent; deinde ut perfectiſſimum ornatiſsimumque horum elementorum fœdus conſiderarent, quæ ipſam naturam, totiusque mundi ſpiritus, quibus movetur & agitatur, temperamentô pulcherrimô & decentiſsimô continerent, & in novas fœcunditatis ſpecies animarent. Fuit etiam alia gravis opinio, quæ homines eruditiſsimos in iſtam conſuetudinem adduxerat; offerri de puro fonte aquam, ut puri caſtique in thalamum venirent; adjungi ignem; ut illius puriſsimam æmularentur naturam, qui ex nobiliſsima altiſsimaque ætheris parte gignitur, neque ullâ præterea admiſtione eſt concretus; ſed totus calidus, totus perlucidus, proprius, ſincerus, & ſui tantùm ſimilis fulget. Non enim illæ ſunt ſolùm amoris virtutes, quas vulgus in conjugibus collaudat; habitare uno ſub tecto; indormire mutuis amplexibus, blanditias & oſcula in vultu hominum jactare; nam ſi animus averſus, ſi thalamus ſuis infeſtus eſt, illis quidem externis ſimulacris ludet; ſed interim internô odiô atque tædiô ſe lacerabit; ſed amoribus ſuis maledicet, & tandem in ipſa ſimultate concidet, atque obmuteſcet. Equidem ego ſic apud animum meum ſtatuo; in vero juſtoque amore nihil eſſe fictum, nihil ſimulatum, nihil utilitate quæſitum; hunc in animi ſedere requie, & plena oblectatione; hunc integrum; hunc in-

incorruptum, hunc ita ſanctum eſſe, ut nulla ſimultate quati, nullô faſtidiô tabeſcere, nullis odiis exſtingui poſsit; hunc ſe ipſo frui, ſe ipſo delectari, ideòque ſempiternum eſſe, quod unâ animâ alatur, unâ voluntate in pulcherrimum conſenſum conglutinetur. Qui tali amore ardent, his more veteri faces & tædas nuptiales lætabundi præferemus; horum domos floribus & viridantibus ſertis exornabimus; his fauſtiſsima illa Thalaſsionis vocabula acclamabimus, ut diu dulciſsimo iſto igni caleant, & ita illos diligant ſuperi, quemadmodum ipſi ſe amant. Nam illis datum eſt, quod Philoſophus de cupidine iſto cæleſti dicit, ut formas animorum effingant, qui ſummi illius pulchri referunt imaginem; ut puras jungant amicitias, junctas ſtabiliant, ignesque ſuos ſemper in melius gliſcentes proferant, & in benevolentia mutua ac ſumma caritate acquieſcant.

Sed jam plura dixi, DOMINE, quàm aut ratio temporis, aut patientia Tua poſtulabat; neque jam ulteriùs gaudia exultantis populi morabor, qui omnibus agris excitus, & per urbem hanc ſparſus, ſe in occurſum Tuum effundere, Te præſentem intueri, Tibi applauſus ſuos & acclamationes reddere prægeſtit. Nos in hoc literarum domicilio, in Germanici orbis clariſſimo loco, non genialem myrtum aut olentem amaranthum ad thalamum Tuum ſternemus, nec poſtes laurô inumbrabimus; ſed pro Te apud Superos concipiemus vota, tuamque fortunam diis immortalibus ſacrabimus; ut Te tuamque uxorem Palatino populo, cujus tutela & ſecuritas veſtræ ſaluti innixa eſt, ſalvos florentesque

præ-

præſtent. Quid enim præſtantius conjugiô veſtrô aut ſuperi terris largiri, aut provincia noſtra optare potuiſſet? Vos quietem Palatinatûs feliciſſimis nuptiis ſtabiliviſtis, vos Regum genus & ſanguinem genti noſtræ miſcuiſtis, vos nobis tranquillitatem, otium, ſecuritatem attuliſtis. Itaque & gentis noſtræ Rector, idemque Parens veſter ac Princeps hunc diem maximis ſuis ac jucundiſſimis gaudiis anteponit, veſtrumque connubium illuſtribus amoris paterni documentis celebrat; & nos alii, qui in hæc feliciſſima incidimus tempora, ſummô ſtudiô ad lætitiam rapimur, jam vivere, jam trahere animam cupimus, dum videmus, quibus ille hæredibus hanc clariſſimam provinciam, penates noſtros, fortunasque omnes reſervet. Si pati poſſes, Par auguſtum, Par cœlo proximum, Te geminum illud Septentrionis veſtri ſidus appellaremus, Te Helicen, Te Cynoſuram diceremus, Te votis quoque vocaremus, poſtquam nobis benefico lumine affulſiſti, & luctus noſtros depuliſti, & metus ſuſtuliſti, & fluctuantes in portum tranquillum collocâſti. Salve par Conjugum, cui nihil hodie Sol adſpicit ſimile aut ſecundum; ſalve tot Regum Cæſarumque ſanguis, ſalve orbis terrarum amor, ornamentum ſeculi, blanda populorum ſpes, deſiderium generis humani; ſalve, vige, vive, & in felicitatem noſtram annos intende! Dî Te conſervent! dî Tibi dent felicitatem, quam mereris! dî faciant, ut ſera ac tarda dies ſit, quæ Te terris ademtum cœlo inferat. Sis incolume, ſis florens, ſis beatum; fluant Tibi candida & læta tempora, ut ſummâ tranquillitate atque otiô perfruare, & conſeneſcas. Hanc veſtram conjunctionem,

nem, hoc castissimum fœdus, hanc sanctissimam animorum conspirationem, hanc jucundissimam vitæ omniumque rerum societatem nulla simultas labefactet, nulla suspicio exagitet, nullus mœror conturbet, nulla calamitas aut fortunæ rabies dissolvat. Addatur decus hoc annalibus nostris, & posteris prodatur, coaluisse vestris amoribus Danos & Palatinos, junctum Rheno Codanum, venisse in fœdera nostra Christianum Quintum, Regem post hominum memoriam præstantissimum, cui cœlum victorias, triumphos, adoreas despondet. Facite vestrô beneficiô, ut illa utriusque gentis concordia sit perpetua, nec ulla unquàm dies augustum fœdus infringat. Etiam precamur, florentissimum Par, ne populorum, quibus Principes debes, vota averseris; sed ut maturè experimentum fœcunditatis præbeas, & spem generis, blanda parentum nomina, dulce liberorum pignus orbi Palatino dones. Quantam tunc ille dies hilaritatem terris afferet, ubi hæredem nominis & stirpis vestræ dabitis? quæ tunc spes nostræ erunt? quæ gentis utriusque gaudia? quæ vota populorum? quæ Principum, Regumque studia, dum ex hac sobole spes suas quisque æstimabit? Atque erit illud tempus, & illucescet aliquando ille dies, quum ista augusta proles in gloriam Palatinæ gentis adolescet, avique sui CAROLI LUDOVICI æternis virtutibus inflammata, orbem terrarum maximâ famâ, & egregiis laudibus implebit; ne illis quidem arcenda tractibus, quos jam adhuc perpetuus Septentrionis rigor, & inaccessa gentibus hyems abscondit. Tunc Tu cœlo Tuo cognata & æmula domus Electoralis Palatina, magnum

G Ger-

Germaniæ terræ decus ac tutela, mater tot gravida imperiis, tot fœcunda triumphis, tot ingentium animarum procreatrix, tot heroum nutrix æternitatem Tuam nobilissimis facinoribus stabilies, & superatis hostibus; insidiis domi forisque vitatis, pace firmata, salvâ atque intactâ libertate, decus immortale Principum tuorum; & imperii splendorem, per magnos populos inclytasque gentes, felicissimis successibus prorogabis.

D I X I.

Ad Lectorem.

NExa Palatinis regali fœdere Sceptris
Connubii stabilis Danica regna vides;
Balthica Thetis amat Nicrum; vastoque mëandrò
Arctoo Rhenus jungitur Oceano.
Progeniem Divûm, Populi exultantis amorem;
Et patriæ hîc lætus gaudia, Lector, habes.
Argumentum ingens ingens facundia tractat;
HACHENBERGERI nobile mentis opus.
Materiam tantam vix aurea sæcla dedêre;
Vix Oratorem sæcula nostra parem.

ROB. ROCKOWOOD
de Stanningfield.



ELEGIA.

REgia Progenies, noſtræ certiſſima terræ
Spes, Palatini maxima cura ſoli,
Princeps, quem Muſæ pretioſo munere ditant,
CuiCharites tradunt, quidquid amoris habent:
Dum Tibi clarus Hymen ſacros accendit honores,
Atque tui approperant gaudia grata thori;
Dum Venus alma favet Mater, vultuque ſerenô
Imponit capiti myrtea ſerta tuo:
Noſtra etiam plaudet ſacro tibi carmine Muſa;
Intrabitque tuos caſta Camœna thoros.
Jam venit Arctoô Regalis Filia cœlô,
Et Nemetes iterum fœdere jungit Amor.
Jam, Frederice, tui renovamus gaudia lecti,
Et reddit thalamos Dania magna ſuos.
Tuque cui frontem diademata Cimbrica pulchram
Cinxêre, & ſacrum ſubdidit Arctos ebur,
Sceptra iterum noſtris cernis ſurgentia lectis;
Dum CAROLO proavûm jam renovatur honos.
Ille genus miſcet Regum, dumque inſtat amori,
Regali nectit fœdera noſtra thoro.
Ille infert noſtris clariſſima ſidera terris,
Et tanto noctem diſcutit igne trucem.
Aſpicis hoc ſidus, quàm pulchro fulgeat ore,
Arctoô quamvis ſpargat ab axe jubar!

 Salve

Salve REGALIS VIRGO, tua numina sentit
Læta Palatinûm tellus adesse sibi.
Quod natura potest Mater producere terris,
Confert ante tuos officiosa pedes.
Ipsa Ceres nostris, quâ nulla est pulchrior, agris,
Cui ornant nitidum spicea serta caput;
Illa tuos sternit thalamos, lectumque coronat,
Et tali applaudit carmine, Diva, Tibi.
Magna Deûm soboles, quæ nostris gratia terris
Advenit? ut Nemetum conspiciaris humo?
Scilicet hanc terram reddas ut prole beatam,
Atque novos parias, mater alumna, duces.
Salva sis, & nostros felix ingredere campos,
Ecce tibi Regni porrigo Sceptra mei.
Terra Tibi fundet blandos, pia munera, flores,
Et duræ quercus roscida mella dabunt.
Gaudebit semper felici messe colonus,
Et multô segetes fœnore reddet ager.
Non lolium infelix, sterilis nec surget avena,
Non urenda filix, spinaque perdet agros.
Sparget humus violas molles, gratumque cyperon;
Ridebunt pratô lilia blanda suô.
Sic dixit: Dryades Nymphæ sed munera portant,
Quidquid in apricis culmine crescit agris.
Bacchus ut audivit Cererem sua vota canentem,
Sustulit è mediis vitibus ipse caput;
Utque videt Sponsam Arctoô procedere regnô,
Et Nemetum terris imposuisse pedem;
Procumbit titubans, & Faunis cinctus alumnis,
Talia vinoso-pectore verba dedit

Acci-

Accipe, quæ nostris crescit sub vitibus uvam ,
Dum Nemetum terris Filia Regis ades.
Munera parva fero , se quæ nec Jupiter ipse
Spernit , purpureô qui bibit ore merum.
Neccarus hîc fundit mustum , quô pulchrior amnis
Non est , qui curvô littore vina coquat.
Hîc aurô Rhenus gravidus sua littora ducit ,
Hîc dulci vinum crescere fertur aquâ.
Ite procul luctus , curæ procul ite severæ ,
Non decet in regno cura severa meo.
Pocula sunt hilari nunc evacuanda palatu ,
Et frontem curis explicuisse juvat.
Exeat hinc livor , Regum qui pascitur aulis ,
Et procul à nostra sede remotus eat.
Vos faciles adstate Dii, tu Gratia, Risus,
Et Jocus huic fausto semper adeste thoro.
Talia flammatô dicebat pectore Liber,
Atque dabat sponsæ munera grata novæ.
Tunc ingens oritur clamor Faunûm Satyrûmque,
Hoc thalamô Nemetum cresce serena domus.
Hæc sunt vota tui, Princeps mitissime, regni,
Adjuvat & veros fabula nostra jocos.
Omnia nunc gaudent, nihil est quod gaudia differt,
Exoptata diu dum venit illa dies.
Illa dies nobis sacrô quæ thure colenda ,
Illa Palatinis semper amanda dies.
Lux fausta & felix , quâ venit Regia sponsa,
Nulla Palatinis stat sine thure domus.
Splendet nunc lætus festivis ignibus æther ,
Flammaque dat cunctis ingeniosa jocos.

Æra

Æra tonant; Martis ſed non ſunt ſigna cruenti;
Sed ſuadent Veneris prælia blanda Deæ.
Talis graſſetur noſtros Bellona per agros,
Et ſemper jactet talia bella Venus.
Vos quoque fatales quæ ſtamina ſæva ſorores
Ducitis, ingratas non properate manus.
Sint fauſti, quos conjunxit Citherea cubili,
Splendeat & natûm multiplicatus honos.
Sit felix conjux, ſis felix Maxime PRINCEPS,
Sintque diu vultûs ora videnda tui.
Et tandem ſerò terras poſt fata relinque,
Ut plaudente polô ſentiat axis onus.
Evenient, quæcunque paras: tua fama manebit,
Imperium donec Teuto tenebit ovans.
Dum Germana fides Germanis ſancta placebit;
Nominis alta tui fama ſuperſtes erit.
Dum Rhenus blandum producit littore muſtum,
Dum Nicer rapidis ſaxa pererrat aquis;
Vives, nec veſtræ deerunt præconia laudis;
Nam virtus neſcit poſt ſua fata mori.

Florus Volkardus Sloet.
Nob. Transiſulanus.



FACES AUGUSTÆ.

NOx erat, & paſſim dubiis expertia curis
Endymionæos mortalia pectora ſomnos
Et ſimul optatam capiebant bruta quietem,
Aurea dum placido ſplendebant ſidera cœlo.
Sed CAROLUS LOODICUS, ubi ſenſere ſoporem
Cætera, ceu ſumma ſpeculator ab arce quietem
Non tulit, aſt noctu vigil urbibus altior ipſis
Incubuit, nec non ſtertentibus undique campis,
Vallibus, & feſſis ſecurâ pace colonis
Procurat ſtabilem populo recubante ſalutem,
Exigit & vigiles mens ſtertere neſcia noctes.
Nempe gerendarum tot tantaque pondera rerum
Delaſſant animos Regum, mentesque Potentum
Tot ſubeunt curæ, tot mille negocia vires
Debilitant, ſtimulique premunt, tot ſceptra labores
Exagitant, requiemque fugant, ut more Leonum
Qui vigiles oculis dormire feruntur apertis,
Ipſa Ducum parco capiantur lumina ſomno.
Sic LUDOVICUS, ubi nullus ſubrepit ocellis
Somnus, Hyberboreis animo conterminus aſtris
Prævidet Imperii caſus, ſortesque futuras
Regnorum, Regumque notat, dubiosque ſagaci
Eventus ratione legit, vigilique labore
Occultasque vices & inextricabile Fatum
Excutit, & tacitâ per ponderat omnia nocte.
Forte ſubit, quam ſint multis viliſſima regnis
Semina, quam putridis ſubnixa potentia ſceptris
Mox ſubverſa ruat, quam vivat noxius aulis
Turpis adulator, quam lubrica ſæpe coronas
Factio peſſundet, quæ tinea forte Tiaras
Rodat, & annoſas quæ ſternant fulmina quercus,

Et tot regna ſimul, tot & oppida, quomodo paſſim
Ludat in humanis divina potentia regnis.
Hæc agitant animum; Sic mens præſaga futuri
Dum ſua Fata legit ſoliis, externaque ſignat
Regna, quibus ſurgant, & decreſcentia vergant
In pejus ſublapſa modis, delabitur in ſe
Spiritus, & propriæ telluris amore tenetur,
Atque Palatinæ reputat quoque commoda terræ,
Et non ſperato volvi mortalia caſu
Sæpius, & ſummas quandoque labaſcere vires.
Has inter curas, dum Spiritus altius exit
Corporis oblitus, dum contingentia ſecum
Rimatur, ſenſim ſine ſenſu laſſa recumbit
Mens confiſa Deo, ſenſim ſopor occupat artus,
Feſſus & in dulcem declinat lumina ſomnum
Providus Imperii Princeps, caput ipſa tuetur
Grata Deo Pietas, juxta Prudentia lecto
Aſſiſtit, facilemque Duci dat amica quietem,
Et removet procul hinc nocturnos undique caſus.
Sed cum purpureis aurora renata quadrigis
Mane diem veheret, radiisque recentibus orbem
Pingeret, & ſummos luſtraret lumine montes,
Cauta recumbentis mens Principis excita ſurgit,
Et dormire pudet Phœbo pellente tenebras.
Aſt memor exactæ cum noctis imago rediret,
Omnia verſabat, quæ nox ſubjecerat ante
Prorſus adhuc imis hærebant fixa medullis,
Atque alta penitus ſub mente repoſta manebant.
Hinc ad ſe CAROLUM pro more deinde vocatum
Ut ſtetit ante Patrem, verbis affatur amicis.
CAROLE, mi Fili, Patriæ Spes maxima terræ,
Jam per complures fateor feliciter annos
Præſumus Imperio, nos pondera nulla fatigant,
Nullaque concutiunt glomerata negocia mentem.
Eſt ſimilis Palmæ Princeps, quæ preſſa reſurgit
Fortius, & nullâ premitur gravitate deorſum.
Utque ſuum Solem, cum ſe rotat, aſtra ſequuntur,
Aſtra ſuos ſtabili ratione tuentia motus;
Sic pariter Princeps totum circumrapit axem,
Atque animat reliquos animi vigor entheus orbes.

Sic

Sic Patriæ persuadet amos, hâc lege tenetur
Quilibet in terris Princeps, ut tuta perennent
Atria, ut augustæ studiis regalibus aulæ
Florescant, vigeantque Scholæ, Fora, Templa, Tribunal.
Illa Gubernantum sors est, ut luminis instar
Gentibus, & patriis splendescant sidera terris,
Et piceas roseâ depellant luce tenebras.
Scilicet excelsi sunt arbor amica Regentes,
Sub cujus viridi requiescit subditus umbra,
Et pluvias minitante polo se tutior abdit
Sub foliis, fructusque legit sub pace beatus,
A recubante gravem ramis arcentibus æstum.
Grande Regentis onus, cui dum supponimus ostro
Fulgentes humeros multos feliciter annos,
Et portamus Athon, dum cuncta negocia soli
Tutius exsequimur, temerè nec credere cuivis
Nos ratio bene suada monet, dum templa, Scholasque
Dum Fora, dum Leges sanctæ moderamine mentis
Flectimus ad normam justi, dum plectere sontes
Et pœnis arcere malos, dum præmia dignis
Contribuisse viris, doctasque regentibus artes
Exercere jubet Pietas, sit gratia Divis,
Cernimus auspiciis melioribus omnia volvi,
Atque Deo præsente regi. Stat Patria nostro
Tuta patrocinio. Florescunt arva supremi
Numinis indultu. Leges & publica fervent
Jura. Sub Imperio nostri florente coloni
Et cives placidâ securi pace quiescunt.
Dum Patriæ commune bonum, dum jura tuemur,
Adversisque pios animos opponimus armis
Proque salute gregis stamus, sors prospera cœptis
Annuit, & vultum servat fortuna benignum,
Dantque Dii nobis dextris successibus uti.
Cessavit Bellona ferox. Mars horridus armis
Suspendit gelidos nobis autoribus enses,
Et stitit exitiale malum. Placidissima rident
Tempora. Nulla necis species. Deus annuit ausis,
Lætaque confectis succedunt sæcula bellis.
Hoc unum optamus (nec desunt Numina votis)
Ut Sors, ut Patriæ melior fortuna perennet,

Jugi-

Jugiter, & simili decurrat sanguine sanguis,
Atque Palatinis pax floreat aurea terris.
Hinc nos conditio præsentis temporis urget,
Et ratio nos certa monet nova fœdera Regum
Quærere, sublimemque domum renovare Potentum
Conjugiis, jam tempus adest, ætasque virilis
Te jubet esse Virum, per Te mihi quæro Nepotes,
Quorum præsidiis aulæ secura perennet
Fama Palatinæ, thalamo se munit & armis
Qui regnare cupit, Solio cum suppetit hæres,
Audaces peccare timent, tutissima res est
Successor, Sobolisque fides, his nixa potestas
Auxiliis bene tuta viget, nec firmior unquam
Imperiis fortuna præest, quam regia postquam
Sceptrigeros auget Genetrix fœcunda Penates;
Nam quo momento populo sublimior omni
Principis exoritur Soboles, ac nascitur orbi,
Publica jura vigent populis & sceptra Potentum
Tuta patrocinio vires à sanguine sumunt.
Sic dixit facilesque jocos, & dulce Parentis
Nomen, & optati socialia gaudia lecti
Atque voluptates Thalami, tædasque jugales
Miscuit, & blandos, dulcissima pignora, natos
Addidit, & seros, senii pia fulcra, Nepotes.
Nonne rubent, inquit, radiis melioribus axes
Cum Phœbo graditur Phœbe comes? aurea fratrem
Illustrat Soror, & simul illustratur ab illo.
Sic si grande decus cum Principe Sponsa tuetur,
Et duplex se pandit honos, tunc emicat altè
Imperii geminatus apex, conjunctaque terris
Lumina prælucent melius; Sors ipsa Regentum
Exigit, ut nubant, hoc publica commoda suadent,
Hoc populi communis amor, nec plurima desunt
Quæ moveant exempla, Seni Saturnia cœli
Blanditur Regina Jovi, Venerique Severus
Mulciber arridet, Tethynque Tridentifer ardet,
Nec caret igne fretum, quin & laxantur averno
Gaudia, & in Stygiis quæruntur basia regnis,
Et ferrugineum mulcet Proserpina Patrem.
Nec dispar sors celsa Ducum est, idemque Potentes
Qui divos accendit amor, sociataque pulchrè

Maje-

Majeſtas Cyprisque viget, cum publica laſſant
Pondera, cum rerum moles glomerata fatigat
Regales animos, uxores aſpera blandis
Emollire ſciunt dictis, atque ægra mederi,
Et precibus placare graves, ſic concita quando
Æquora Neptuni ſurgunt percuſſa Tridenti;
Et jam terror habet Tiphin, ſociosque, ratesque;
Tota procelloſos componunt æquora motus,
Si Tethis formoſa micat; deſæviit æſtu
Conſeditque tumens Stilicho, cum voce Serena
Flecteret accenſum, non indignante, maritum.
Leniit Auguſti non inconcinna furorem
Livia, & audacis traxit molimina Magni
Julia, nec Generum Socero concurrere paſſa eſt,
Dum vixit, ſuaſitque viro digniſſima conjux.
Cum Pater Auguſtus dixiſſet talia gnato
Erubuit Princeps, & ſe confeſſa moveri
Grata verecundas percurrit purpura malas;
Et timuit quæſiſſe pudor, quam vota Parentis
Eligerent Sponſam, Genitor ſed callidus Augur
Mentis, & internos doctus cognoſcere motus
Ex facie ſola, ſcrupulum ſic eximit omnem.
Ex[illegible]itur noſtris, inquit, mihi Dania votis
Atque Tuo thalamo ſacratur regia Proles
Danorum, Magni Soboles Auguſta Parentis,
Quam circumjectis veneratur Cimbria regnis,
Ingens nata Ducum, cujus fert oſcula plantis
Nerigon, ardentem cui ſubdit ſedulus Heclam
Incola, quam Fiones, quam pulchris Hafnia campis
Circumcincta colit, quam Funnia prona ſalutat,
Quam circumfuſis Lalandia ſuſpicit undis,
Et quæ vaſta ſuos Nidroſia colligit amnes
Vallibus, & toto famulatur Fembria Ponto,
Victricesque rates, cui ſubdit Jutia faſces,
Cui Gothus, antiquique memor Dithmarſus honoris
Aſſurgit; facilemque refert Hallandia cultum.
Si genus exquiris, ſi ſtemmata Gentis avitæ
Inter Sceptra Patris, mundique adolevit habenas,
Semi Deûm domos, quas Delmenhorſtia dudum
Vexit, & æternis ſtirps Oldenburgica Faſtis
Auxit in imperium magnum, quis clarior illo

Quis venerabilior ſanquis ? cui priſca dedere
Semina Chriſtophori, Regnatoresque Canuti ;
Hemmingique Duces, ſcriptique annalibus Humbli,
Et retro tot Stirpis avi, quos inter Heraldi,
Et celebres fuldent Olai, fortesque Stenones,
Chriſtiernique graves, & nomina nata triumphis
Errici, Frothoque potens, quos ordine longo
Ad noſtra hæc ducunt geniales ſæcula tædæ.
Inclyta Progenies tali ſe vindicat ortu,
Hoc jactat ſe Patre ſatam, tantoque ſuperbit
Sanguine Nobilitas, ſed cuncta modeſtia morum
Antevenit, decor eſt, qualis ſolet eſſe Dearum,
Triſte nihil, nihil innocuam implacabile mentem
Pervertit, tetricamque facit, prudentia dictis
Et gravitas regalis ineſt, & neſcia fraudum
Simplicitas, quoties gemmis ſplendeſcit & auro
Virtutes potiora putat, cum regia ſpectat
Limina, magnificasque trabes, Aulæa, Penates
Vult demiſſa frui, multum nocitura Regenti
Luxuries, & faſtus abeſt, ſunt candida ſemper
Gaudia, nec peccat pulchro ſatiata voluptas.
Sic Proavûm Matres, ſic tot docuere Sibyllæ.
Priſca velim leviora putes, vel ficta, vel aucta
Vatibus, illa ſuum tranſcendit ſplendida ſexum
Stemmate, ſtemma animis, animos virtutibus, illas
Antevenit pietatis honos, quæ quanta venuſtas!
Quanta puellarem excellens reverentia ſexum
Majeſtate tegit! quam fulgens purpura flammas
Spirat! & inſontes radiis exſuſcitat ignes!
Hanc ſi Theſſalicis olim vidiſſet in undis
Errantem Phœbus, Daphnen ſperviſſet amator,
Liquiſſetque ſuam profugus Minoida Theſeus.
Cum ſic dixiſſet, cum ſic ſuaſiſſet amorem
Auguſtus Genitor, Deus aliger adſtitit arcu,
Fortis & impoſitam transmittit in ima ſagittam
Pectora, & occulto transverberat igne medullas;
Et CAROLUM ſuccendit Amor, leviore tumultu
Intonuere poli, lenique fragore coruſcum
Mitia ſigna dedit cœlum, deſpexit ab alto
Jupiter axe, novaſque probant cita fulmina flammas.
Illico Mercurium ſummi regnator Olympi
Advocat,

Advocat, & juſſis onerat, quà mandat, iturum;
CAROLUS, inquit, amat, Magni Spes magna Parentis,
CAROLUS Auguſtus Princeps, lectiſſima Pindi
Gloria, Pieridumque decus, Patriæque voluptas,
Atque Palatinæ Spes, Res, Lux unica terræ.
Ille amat, & votis Danorum regia Proles
Illius arridet, dignum par, amabile fœdus.
Sunt ætate, ſimul ſunt & juvenilibus annis
Et virtute pares, & nil quod amantibus obſtet.
Laudo Palatini bene natos Principis ignes
Et clarum virtute genus, ſeriemque Nepotum
Auguſtam conſtanter amo, quantocyus ergo
I celer ad Cimbros, & amatæ quæſo puellæ
Perſuade CAROLI (paucis potes illud) amorem;
Et flammas accende pares ſub pectore, multis
Non opus eſt verbis, aures dabit illa benignas
Atque perorantem virgo mitiſſima blandum
Audiet, & facilem dabit in nova fœdera dextram;
Namque Tuus Princeps quem commendare juberis
Se propriâ (prægrande decus) virtute tuetur,
Et precio ſtat rite ſuo. Dabit Æolus auras,
Et felix celerabit iter, Venus aurea ſenſim
Annuet, atque puer telis inſtructus & alis
Uret Ei teneras Te perſuadente medullas,
Et non ſperatum ſubito inſpirabit amorem.
Paret Atlantiades, & ſummo lapſus Olympo
Sub pedibus vaga regna videt, Cnidumque, Paphumq;
Et celebres urbes, & decantata Poëtis
Oppida, & excelſos montes, fluvioſque rapaces,
Et patulos circum campos, celeremque Viſurgim
Conſpicit, & validis inſtratum Pontibus Albim,
Oceanique vagas undas, & Balthica tranſit
Æquora, & extemplo Danis allabitur oris.
Blanda ſerenati ridebat gratia cœli,
Et ſine nube dies poſitis placidiſſimus auris
Ibat, & obſcuro nebulas pellebat Olympo.
Æolii circum ponebant murmura Fratres
Nec rigidus Boreæ flatus pro more furebat,
Nec rabies violenta Noti, ſed amica tacebant
Æquora, nec tumidos ventis aquilonia fluctus
Flabra flagellabant, nec fulmina mixta procellis

Tunde-

Tundebant tumidi latus implacabile Ponti.
Hanc inter faciem placidè ridentis Olympi,
Jllecebrasque Poli, multum mitissima Virgo
Regia Danorum Princeps ad litora Ponti
Exspatiata fuit pulchris comitata puellis,
Quas circumstantes inter ceu Luna micabat
Regia Progenies, & viva pudoris imago.
Incessus Junonis erat, dispersa fluebant
Pallia, cultus erat, qualem Venerabilis olim
Livia, Cecropidumque nurus gessere superbæ.
Strinxerat ornatos in nodum fascia crines,
Et Tyriis dignè velarat tempora vittis,
Marmoreæque manus, & eburnea colla monili
Et fulvâ nitidum splendebat jaspide pectus,
Et gemmis regale decus, non dignior unquam
Frontis honos, roseo depictis sanguine malis
Candida temperies inerat, laxataque palla
Indignam verrebat humum, Thaumantia nunquam
Pulchrius explicuit lætis mortalibus ora;
Aut Thetis Æmonii vadens ad limina Pelei.

Obstupuit Majâ genitus, ter adire paratus
Ter retulit tamen inde pedem, ter dicere promtus
Ter resilit, tantæ perplexus imagine formæ,
Et cultu propiore Deæ, formidine tandem
Vanescente, novos sic exorditur amores.

Salve Magna Patris Soboles, Venerabile cœli
Depositum, Dea celsa, micans sub murice Numen,
Filia Magnanimi Regis, cui pectore in uno
Omnia nascentis regalia dona Tiaræ
Virtutumque choros cœlestis cura recondit.
Te CAROLUS Princeps virtutis imago paternæ,
Atque Palatinæ terræ dignissimus Hæres,
Unicus orbis amor, patriæ, populique voluptas,
Martis & artis apex, & laudatissima Pindi
Gloria, cui Rhenus famulatur, & accola Rheni,
Vangionumque Lares, quem Nicrus amœnus honorat,
Et sua vitiferi submittunt culmina montes,
Officiosus amat, primis & amoribus ætas
Uritur, & castis ardent præcordia flammis
Sique fidem rebus dignam mea verba merentur,
Ille Palatino Iove Iudice dignus amari,

Cujus

Cujus ego Interpres refero Tibi ſenſa Deorum
Nuncius; & monitis nutantia pectora firmo
Dignus quem redames, dignus quem flore Juventæ
Secernas Sponſum, thalamum qui ſcandat avitum
Impiger, & timida de virginitate triumphet.
Si genus exquiris; patriæ ſi ſtemmata gentis;
Cæſareos veneratur avos, nec ſola paternos
Condecorat fortuna Lares, ſed ſexus uterque
Continuat tam grande decus, ſerieque Nepotum
Regalis deſcendit honos, æternaque creſcunt
Imperia; & ſimili decurrit ſanguine ſanguis;
Et virtutis amor, ſed avito ſanguine naſci
Fortuitum videt eſſe; genus virtute tueri
Hoc regale putat, monitis inflectere mentem
Ingenium formare; modos, præceptaque recti
Diſcere, & in teneris annis arcana regendi
Symbola, & occultas ſummis Rectoribus artes
Sunt Caroli documenta mei; Pervolvere motus,
Ire per annales Patrum, quid ſæcula dignum
Ediderint exacta, togæ bellique labores;
Omniaque in proprios quondam convertere caſus
Celſior adſuevit Princeps; Quibus occidat auſis
Imperii ſurgatque decus, quam noxius aulis
Vivat adulator, quam perniciofior Hydrâ
Luxus eat populator opum; quam vincere ſemet
Egregium; doctas terris aluiſſe Camœnas
Et Doctis monſtraſſe viam, non perdere civem
Eſt CAROLI vox prima mei. Non parcere victis
Suppliciis gaudere, truces diſtringere vultus;
Non flecti precibus; veniamq; expungere roſtris
Atque illaudatas Manli revocare ſecures;
Et conculcatas adſpergere ſanguine Leges
Hoc crudele ferumque putat; Quam blanda vacillet
Excelſo Fortuna loco, quæ tempora Paci
Commoda, quæ poſcant lituos, quos negligat hoſtes;
Quos metuat mens cauta Ducum; quæ fœdera ſolvat;
Quæ credat temerare nefas, quæ cauſa rebelles
Armet; & audaces frangat prudentia motus
Eſt CAROLI pia cura mei. Submittere faſces
Et ſummo parere Deo; cui cruda Tyrannis
Diſplicet, atque truces abſcondunt ora Nerones
Imprimis didiciſſe juvat; nec ſubdere cœlo

C Se;

Se, Titulosque suos pudor est, cum terra polusque
Parendi sine lege ruant, & sola perennet
Regia, quam fulcit Pietas, & conscius horror
Numinis, ac sacro supplex reverentia cultu.
Felix Imperii facies! quam prima tuetur
Relligio, quæ consiliis inimica profanis
Fas animi, sacrosque probat devota recessus
Mentis, & innocua cives, delubra, focosque
Simplicitate beat, non tela, nec arma, nec enses
Audacesque minæ, recti statione movebunt
Intrepidum, ferient omnes impune ruinæ,
Tempestasque suis concussa tumultibus, excors
Concidet, & cœco prudens Bellona furori
Obstrepet, & trepidis rabies desæviet hastis.
Stat sua Majestas Soliis, vindexque Tiaris
Numen adest, Superûmque metus custodia regni est.
Et pravos vindicta Dei, Nemesisque coercet.

Nec minus Euclidæ numeros, ignotaque qua
Metitur spatia, & rigidis distincta figuris
Signa legit, Martisque levi spectacla papyro
Exhibet, & veterum disponit more phalanges,
Quaque urbes virtute ruant, quæ linea muros
Quæ feriat directa domos, ut vinea serpat
Tutius, & timidis subrepat Machina portis,
Sunt CAROLO, si forsan opus, præludia belli.

Nec discors animo vultus, non dissona fronti
Pectora, blanda gravi residet sermone venustas,
Nec personatis inservit mobile scenis
Ingenium, graditur gressu veneranda modesto
Celsa Potestatis species, & splendida fulget
Stipantes inter Proceres, velut æthere summo
Nocturnos rutilans præcedit Lucifer ignes,
Astrorumque choros, hunc circumfusa sequuntur
Sidera, & à tanto lumen sibi lumine spondent.

Sæpe per umbrosos saltus, & tesqua ferarum
Deduxit Iuvenem Genitor, cum roscida multum
Purpureis aurora genis præverteret ortum,
Aut celerem raperent invisa crepuscula Phœbum,
Fessaque Hamadryadum gelidis se conderet antris,
Faunorumque cohors, quoties Latonia dextram
Instruxit jaculis, frondosaque Mænala linquens
Et juga Taygeti pharetram suspendit & arcum

Ex humeris, quoties docto venabula nisu
Fixit in aversi fugientia tergora cervi
Fortiter, & torvos prostravit dentibus apros.
Sæpe frementis equi fodiens calcavibus armos
Antevolat per prata Notos, nunc sistit eundem
Ocyus, & duris doctè premit ora lupatis,
Et gyro properare docet, generosus habenis
Stat Sonipes, Dominique sui subsellia portans
Obsequium gravitate premit, famulumque laborem
Dissimulat fremitu, calidisque madentia spumis
Mordet fræna ferox, tardoque superbia gressu
Quam calcat, fastidit humum, ferit ungula pandum
Altius in se tracta femur, cerviceque curva
Obliquat sibi fastus iter, nec prona dehiscunt
Ora, nec indecori quassantur tergora motu.
His meus officiis Princeps, his moribus audit
Clarior, his curis patrium suffulciet orbem.
Dixit Atlantiades. Sed laudatissima Princeps
Demisit gravitate genas, & purpura vultum
Pinxit, & alloquio præsenti corda moveri
Lucida signa dedit, sensim generosaque sese
Altè virgineis occultat flamma medullis,
Et CAROLUM licet absentem constanter anhelat.
Illico gavisis Tethys circumflua Cimbris
Cum præsens in amore novos audiverat ignes
Cæruleum Tritona vocat, vocat ille natantes
Najadas, & medio grandævum Nerea poscens
Oceano, tremulis mulcet vada cærula caudis
Reginæ gratata suæ, thalamoque jugali.
Involat in Phocam Tethys, Neptunus habenis
Lascivum Delphina regit, balæna petulcum
Nerea fert, vitulo Glaucus Spathaleque marino
Insedere simul, Galateam fervida pistrix
Spumanti modo tollit aqua, modo corpora mergit
Absconditque salax undis, fera nomina, porci
Rosmarus & Polypi, & sinuoso pisce Dracones
Serratæque sua gaudent statione catervæ,
Præluduntque novæ spectacula nautica pompæ.
Stat pactis firmata Fides. Connubia sanxit
Jupiter, & claro Majorum sanguine fultæ
Convenere domus, Danis favet æccola Rheni,
Atque Palatino coiit cum fœdere Cimber.

CARO-

CAROLUS Eximius Princeps, Patris una voluptas
Auguſtam Dani ſobolem veneratur, amatque,
Atque novos ſentit ſub pectore gliſcere motus.
Regia Progenies amat ERNESTINA viciſſim
Abſentem CAROLUM, CAROLUM deſiderat, ardet,
Atque Palatinis fervent præcordia flammis.
Dumque locis diſtans gens intercurſat amorum,
Crebraque per longos commutant baſia tractus,
Baſia, quæ Zephyri, quæ perturbare verentur
Nubila, quin lachrymæ, gemitus, & quicquid amantũ eſt,
Riſus, amor, gratique metus, ſuſpenſa voluptas
Hâc illâc levibus volitant per inania pennis,
Ipſa Venus frænis agiles adſtrinxit Olores,
Rapta per Idalios colles, Erycinaque templa,
Atque omnem excivit latè Paphon, illa Britannis
Et conſanguineis defert nova nuncia regnis,
Principibusque viris, qua Sol nitidiſſimus auris
Eois producit equos, qua lampade feſſa
Mergitur occiduis iterum declivior undis.
Nec mora fama ſagax geſtarum & prodiga rerum
Nulla diu quam facta latent, audita per aures
Devolvens hominum cauſam exultantis ubique
Lætitiæ geſtit variis diffundere dictis,
Jam ſublime volans ſummas operoſa per arces,
Nunc humiles radens plebejo murmure valles.
Affulſit nunc illa dies, affulſit Olympo
Clarior, & fauſto Superis plaudentibus ortu
Emicuit lux læta, ſacro decreta jugali,
Tot deſideriis populi, precibusque piorum,
Tot votis optata diu, quo regius ipſis
In Triviis cantatur Hymen, quo concita gaudent
Oppida, collucent flammis genialibus undæ,
Atque Palatini, ſpectata cacumina, colles
Lætitiæ dant ſigna ſuæ, quo pronuba Mater
Corda ligans Pietas thalamos componit avitos,
Maturatque thorum, quo corcula bina ligantur,
Et ſperata diu conſummant oſcula Reges.
Inde novis hilares certant applauſibus urbes,
Vota facit vulgus, læto ſe carmine Nicrus
Præparat, exultant feſtos viſura triumphos
Clara Palatinæ gaviſa Palatia terræ
Jugiter, aulæis fulgentibus atria ſplendent,

Flori-

Floribus undat humus, prætexunt tecta coronas
Fusaque rorantes humectant balsama terras;
Et redolet sylvis domus omnis sparsa Sabæis.
Omnia lætitiæ sunt dedita, & omnia Sponsis.
Obvia lætatæ procedunt agmina pubis,
Et Populi vox una, *venit*, jactantur in auras
Jubila, sulphureas eructat ahenea glandes
Machina, vicinæ reboant mugitibus undæ,
Horrendisque sonis circum concussa tremiscunt
Litora; fumus abit, totamque obnubilat urbem,
Et lucem rapit umbra, novo splendore triumphant
Mœnia, lusus, amor, studium, favor omnibus idem.
Hinc clangore Tubæ, campos atque æthera complent,
Dixeris irasci Martem, raucosque remittunt
Tympana pulsa sonos, reboant concentibus auræ;
Multus & intextis auro phaleratus habenis
Arte rotatur equus, Proceres pulcherrimus ordo
Incedunt campis, cum natis culmina mater
Alta subit teneris, nec aperta fenestra puellas
Densatas recipit, spissis stant agmina portis,
Lætitiaque fremunt, & jubila plausibus addunt,
Votivasque preces, non tot sub tempore veris
Per virides agros per roscida gramina campi
Conglomerantur apes, non tot cum Marte favente
Victores rediere grues post strata Gigantum
Corpora Strimoniis considunt agmina ripis,
Et Pæana crepant; Danorum regia Proles
Sponsa Palatini capitis, sublimis in aureo
Invehitur curru, placato mitia vultu
Sæcula prætendens, ex fronte relucet honestas,
Ex oculis pietas, & grata modestia vultu
Majestasque micat, qualis solet esse Dearum;
Et formæ regalis honos, & gratia fandi.
Tota decens vultu, Sarrano murice pulchrè
Tota nitens, nec non imitantibus aurea gemmis
Sidera, virginei suffundunt ora rubores
Candida; quale rubent argentea tota Sabæis
Lilia mixta rosis, nec cedunt corpora lacti,
Nec cervix ebori; nec crura, manusque decoræ
Sithoniis nivibus, quas frigida parturit Arctos.
Talis Amyclæo quondam pulcherrima Sponso
In Thalamos Phrygio nova Thestias ivit amictu.

Talis & in primis formosa Semiramis annis
Dicitur accubuisse Nino. Concurrite Vates
Et Phœbi tripodas, Parnassæosque recessus
Pandite, sidereas afflet vis enthea mentes,
Et quicquid facunda olim cortina remugit
Promite, per vestros hederæ laurique capillos
Luxurient, & docta novis date carmina Sponsis;
Obsequium testata suum; Me Maxime Princeps
Me pius ardor agit pariter, grandisque canendi
Materies rapit in furias, œstroque potenter
Sollicitat Vatem, Paphias sacramus ad aras
Vota, precesque; Deus Thalami qui provida sanxit
Fœdera, qui castis flammis alimenta ministrat,
Quique verecundos inspirat, alitque calores,
Ille Tibi, Nuptæque Tuæ Mitissime Princeps
Tecta locet centum sublimibus alta columnis,
Marmoreasque domos, & avita Palatia Patrum
Conservet, terrasque Tuas dilatet, & omnes
Porrigat in gentes, neque copia larga potentum
Desit opum, non arma virûm, non vivida virtus;
Non populi securus amor, fidique Ministri.
Jura Forum servet, tutisque senacla patescant
Consiliis, resides Pax inviolabilis agros
Sospitet, & nostris procul ô procul arceat oris
Pallentes Erebi curas, tristesque ruinas,
Et belli ferale malum; Tithonia vive
Sæcula, nulla Tuas violet fortuna Tiaras,
Sera Torum Lachesis, succrescant regia mundo
Pignora, fulcra domus, generis monumenta, Parentum
Gaudia, Spes Patriæ, solatia Teutonis oræ
Atque Palatinæ surgant fortissima gentis
Brachia, Sceptrigeros fundant Palatia natos,
Ottonesque Duces, Bellatoresque Rupertos
Parturiat Regina Tibi, quos Martius ardor
Excitet, & virtus animi. Sic tota precatur
Patria, sic Dryades mecum, sic Najades optant;
Quæ virides Nicri ripas, Rhenique frequentes
Irriguis muscosa colunt procul antra sub undis,
Aut gelidos nemorum saltus, sylvasque pererrant.
Vivite felices Pylios constanter in annos,
Vivite, & è nostris vestros Deus augeat annos.

ELE-

ELEGIACUM.

LÆta Palatino conjungit sceptra LEONI
Danus, & augustam dat recipitque fidem.
Et simul Arctois jungit regale coronis
Stemma Palatinæ Gentis avita domus.
Inter utramque fides coalescit ahenea gentem
Gens fideique tenax utraque pignus habet.
Jungitur Oceano Nicrus, Neptunus Jaccho
Et quæ sunt procul hinc dissita nectit amor.
Frigidus & rigidus gelidis Septentrio ventis
Jam calet, & flammas plenus amoris alit.
Regia Cimbrorum Proles mitissima virgo
Matris amor, patriæ gloria gentis amat.
Et CAROLUS quo non Princeps formosior exstat,
Patris amor, columen Martis & artis amat.
Et Sceptris dominatur amor, Magnique Regentes
Subjiciunt Paphio regia colla jugo.
Dignus amor! virtute pares & mollibus annis
Æternæque pares ordine stirpis amant.
Omnia conveniunt Genus, & florentior ætas
Conveniunt mores, convenit æquus amor.
Ille Palatini cui subdunt culmina montes
Cui paret placido flumine Nicrus amat.
Ille cui Rhenus famulatur, & accola Rheni,
Naïadumque chori, Vangionumque Lares.
Cui paret Jettæus apex, cui porrigit uvas
Urbs quæ de Bacchi nomine nomen habet.
Quid referam primos nascentis originis ortus
Quid successivos posteritatis avos?
Nam sua Pipino generis primordia debet
Unde Palatini sanguinis ordo fluit.
Hinc stirpis series. Hinc Wittelsbacchius Otto
Surgit, & in sera posteritate viget.
Prodiit hocce satu Rupertus in ordine primus
Qui dedit Aoniis hîc loca sacra Diis.
Qui Myrtilliferas olim prudenter Athenas
Condidit, & studiis maximus Autor erat.
Postea Rupertus rerum moderatur habenas
Tertius, ingenio summus, & acer equo,
Qui Wenceslao Romana sede remoto
Cæsareâ gessit splendida sceptra manu.
Restituitque Tibi lapsas Germania vires
Proque salute Tua strenuus arma tulit.
Et quis victorem Fridericum carmine dicat?
Hocce cui nomen nobile Fama dedit.
Tot tantos veneratur avos, hoc sanguine crevit
Grandeque continuat sexus uterque decus.
Maternus Proavus fuit anglo splendidus ostro
Atque dedit fidis jussa verenda Scotis.
At Pater Augustus Superos virtutibus æquat
Divitiis Regum pondera, mente Deos.

Nec pius abludit Majorum sanguine gnatus
Sed servat generis maxima signa sui.
Nempe recens natis virtus genuina juvencis
Cernitur, & membris nobilis ardor inest.
Nunquam degeneres aquilæ genuere columbas
Sed sua naturæ semina quisque trahit.
Natus ut est molles ad bella Leunculus ungues
Excitat, & generis lucida signa facit.
Alcides geminos elisit fortiter angues
Dum puer in cunis nocte silente cubat.
Nascitur ingenium, non Marte vel arte paratur
Et natum certis proditur usque notis.
Te Princeps Auguste, Tui Genitoris imago
Et Patriæ nostræ Pieridumque decus.
Te nova lanugo decorat, firmique venustas
Corporis, & facies non nisi digna Deo.
Blandaque conspicuo gravitas quæ lucet in ore
Nil docet ingenio mitius esse Tuo.
Vix habitat turpi præstans in corpore virtus,
Certa fere mentis semina vultus habet.
Hospitio plerumque suo non diffidet hospes,
Assiduas reddunt frons animusque vices.
Et Tua Magnanimi Soboles Augusta Parentis
Sponsa, sub hoc nostro vix habet orbe parem.
Ingens nata Ducum cujus fert oscula plantis
Nerigon, & pronum subjicit Hecla caput.
Quam circumfusis Lalandia suspicit undis,
Quam Fiones, Ducibus natio fida, timent.
Quam circumjectis amat Hafnia regia campis
Et medias inter Fünnus honorat aquas.
Cui Gothus, & faciles submittit Jutia fasces
Et tendit famulas Fembria dives opes.
Quam simul æternis Stirps Oldenburgica fastis
Nobilis, & Delmenhorstia promta colit.
Quis venerabilior sanguis, quis clarior exstat?
Quis numerat plures ordine stirpis avos?
Huic sua Christophori, Regnatoresque Canuti
Semina Magnorum prisca dedere Ducum.
Hemmingiq; graves, scriptiq; annalibus Humbli
Inter quos Olai Nomina Magna cluunt.
Christernique micant Reges, fortesque Stenones
Bellica sanguineo fulmina Marte tonant.
Quis ferat Erricos, claros quis narret Heraldos?
Unde Tibi Cimber stemmata nata fluunt
Moribus ast celebrem transcendit splendida stirpē
Et virtute suum nobiliore genus.
Corde sedet Pietas, animo non inscia Recti
Simplicitas, roseo castus in ore pudor.
Cui Probitas, cui rara Fides, cui provida veras
Sedulitas animi conciliavit opes.


Cui

Cui cedit Spartanus olor, cui Chaonis ales
Et Pario nitidum monte quod albet ebur.
Cedit Erithræis quæ gemma nitescit in undis
Puniceæ cedunt, mollia serta, rosæ.
Cedit amica Venus, cedit Tritonia, cedit
Iliacos avido quæ cremat igne focos.
Priamides udâ recubans ignavus in Ida
Huic Eridos judex poma daturus erat.
Sideribus certant oculi, superantque recentes
Labra rosas, puram colla manusque nivem.
Quid faciles dicam motus, habitusque decoros
Quos Sponsam Charites edocuere Tuam.
Sic Paphiam falsis cum nata maderet ab undis
Cous inoffensâ pinxerat arte Senex.
Quam bene proceras fœcunda ligatur ad ulmos
Vitis, & arboreas implicat alta comas.
Tam bene legitimo duo pectora vinxit amore
Pectora nonunquam dissoluenda Deus.
Fortunatus amor! dum spe potiuntur amantes
Pectoribusque duûm mutua flamma calet.
Regia Danorum Sobolês virtutis imago
Ingreditur thalamum Carole Sponse Tuum.
CAROLUS augustis Sponsæ complexibus hæret
Fausta precante Salo; Fausta precante Solo.
Hymen ô hymenæe, hymen, ades ô hymenæe!
Binaque constanti corcula pace liges.
Hinc geminæ plaudunt inter nova jubila gentes
Et dant votivos accipiuntque sonos.
Hinc sua certatim testatur gaudia Danus
Inde Palatinus tollit in astra caput.
Scilicet affectus cum Principe sentit eosdem
Augustis Pietas obsequiosa Diis.
Publica res Princeps, & publica vota Piorum
Exigit, & junctas in pia cœpta preces.
Has damus, & proni suspiria versus Olympum
Mittimus, ut votis adsit ubique Tuis.
CAROLE vive diu, socialia fœdera firmet,
Sospitet & multa prosperitate Deus.
Vivite felicem junctissima pectora vitam
Inque dies vester multiplicetur amor.
Inde Palatinos ut Principis aula Nepotes
Suscipiat, Magno, dulce levamen, avo.
Vive Sibyllinos ô Sponse, sed integer, annos
Nec brevior vitæ sit mora, Sponsa, Tuæ.

Humillima contestatus obsequia
canebat

Joh. Gerlacus Wilhelmi, Gymn.
Heidelb. Rect.





I.

STANCES

SUR

L'Entrée de la Princesse de Dannemarc M^e. WILHELMINE ERNESTINE.

* * *

Belle & agreable Princeße,
Pleine de charmes & d'appas ;
Que de joye & que de liesse
Vostre abord aujourdhuy ne nous cause-il pas?
Vous apportez icy tant de rejouißance,
Vous brillez à nos yeux par des rayons si beaux ;
Que tous nos Arcs Trionfaux.
N'ont sans doute d'esclat que par vôtre presence.
Par vous la saison se Couronne ,
E retournant au point où elle avoit esté.
Vous creez un Printemps au milieu d'un automne,
Peut être ferez vous de l'hyver un Esté ?
Princeße que diray-je encore ,
Si non qu'il vous falloit un Prince sans pareil ;
Mais s'il vous falloit ce Soleil,
Luy falloit-il pas cette Aurore ?
Maintenant donc vivez heureux,
Et que d'un si royale & auguste hymenée ,
Il naiße quelquun de vous d'Eux ,
Par qui la race encor se voye Couronnée.

II.

Ad eandem

Serenißimam Daniæ Principem ac Dominam,

DN. WILHELMINAM ERNESTINAM.

Epigramma Encomiasticon.

* * *

JUno, Venus, Pallas, nemorosæ in montibus Idæ,
Certamen formæ cum subiere suæ;
Hasce Deas inter si WILHELMINA fuisses,
Vicisses reliquas, Tu DEA Sola, Deas.
Quàm Juno jejuna foret, quàm pallida Pallas,
Quàm Dea vana Venus; Tu Dea sola fores.
Collige sub numerum Comites, aut de Jove natas,
Pulchrior in cunctis Tu GULIELMA! clues.
Sis vel Judicio Paridis pulcherrima terris,
Te tamen adjungit Numinibus PIETAS.
Nunc precium formæ fers, Regia nomina; dum Tu
Sponsa DUCI Intvergûm traderis in gremium!

III.

Der Teutschen HELICONINNEN Unterthänigster Willkomm.

1.

ZIeht ein nunmehr in Heydelberg /
